Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2051

Quelle:
Copyright:

Concilium ſacrum uenerandi culmina iuris
Condidit, & nobis congrua frena dedit.
Ut bene fundatus iuſto moderamine poſſit
Intemerata gerens clericus ordo regi.
Pontifices ſummi ueterum praecepta ſequentes
Planius haec monitis expoſuere ſuis.
Hinc fidei noſtrae ſe pandit ſemita, & omnes
Errorum damnant dogmata ſancta uias.
Quisque dei famulus fuerat, chriſtique ſacerdos,
Hoc ſale conditus dulcia mella fluit.

VIII. *fol.* 81. p. 2. abſque Titulo brevis Catecheſis de Officio Miſſae, cujus initium: *Interrogatio. Ipſa miſſa a quo pontifice ſumpſit initium? Reſp. Ordo autem miſſę uel orationum, quibus oblata deo ſacrificia conſecrantur, primo a ſancto petro eſt inſtitutus, cuius celebrationem uno eodemque modo uniuerſus peragit orbis* &c. Orationes ſtatuuntur VII. e quibus Autor ignotus *Dominicae* plurimum immoratur.

IX. *fol.* 83. p. 2. *Incipit Sermo Ab Exordio Mundi Uſque Ad Apoſtolorum Tempora Et Uſque Nunc Boetii.* Breviarium intellige *Confeſſionis Fidei Boetianae*, ut extat in Edit. *Opp. Lugd. Batav.* 1671. p. 289. 8. Init: *Dominus omnipotens qui ſemper in aeternum ſine aliqua mutabilitate aeternus permanet* &c. Quaedam etiam de ſuo inſperſit Breviator.

X. *fol.* 89. *De Octo Uitiis Principalibus. Quorum Nomina Haec Sunt. Superbia, Guila, Fornicatio, Auaritia, Accidia, Triſtitia, Coenodoxia.* Breviter enumerantur ſubalterna eorum Vitia. *Invidiae* ſubſtituta eſt *Triſtitia*, ipſa vero inter *Avaritiae* filias cenſetur.

XI. *fol.* 90. *De ratione matrimonii.* Id eſt de variis circa hoc Sacramentum Caſibus Sententiae Utr. Teſtamenti, *Hieronymi, Auguſtini, Eucherii*, Synodi *Hibernenſium, Romanae*, et *Aurilienſis.* Canonem *Hibernenſem* in neutra *Patricii* dicta Synodo T. IV. *Concill. ſupracit.* lego. Sonat vero ſic: *In tribus XLmis anni, & in dominico & in IIII. feria & in VI. feria coniugales continere ſe debent. Item Nec illis diebus copulari, quamdiu grauata fuerit uxor, hoc eſt, a quo filius in utero eius motum fecerit uſque ad partum. Item a partu per XXXIII. dies, ſi filius, ſi autem filia, per LXVI. Item nec illis in alio habitu copulare licet.* Canon prave ſcriptus *Aurilienſis* eſt Conc. *Aurelianenſis* I. numero XVIII. ut *Concill.* T. V. *col.* 549.

XII. *fol.* 99. litera quadra: *Maximianus. Malchus. Martinianus. Dioniſius. Johannes. Seraphion Et Conſtantinus.* Dein *Acta* ſic dictorum Ἑπτα Παιδων ſeu VII. *Dormientium Epheſinorum*, qui ad diem 27. *Jul.* coluntur. Ineunt: *In illo tempore regnabat decius imperator, deſcendit in ciuitate*

Con-